



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM LITTERAE DECRETALES *CARITAS PASTORUM** QUIBUS IOSEPHO SEBASTIANO PELCZAR SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR. «Caritas pastorum ea virtus est qua Christum in sui donatione et servitio imitatur: non proinde ponenda est in illis quae facimus, sed reperienda in nostrum ipsorum dono, quo exprimitur Christi amor gregi oblatus» [IOANNES PAULUS II, Homilia in adoratione eucharistica Seuli habita (VII mensis Octobris anno MCMLXXXIX), 2; cfr *Adhortatio Apostolica Pastores dabo vobis*, 23: AAS, LXXXIV (1992), 692]. Pastoralis caritas, quae sui plena est Ecclesiae donatio, Episcopi Iosephi Sebastiani Pelczar peculiaris fuit virtus, qui divini Pastoralis fideliter persequens exemplum, animose studioseque salutis sui populi aeternae operam dedit, quem ipse doctrina rexit sanctitatisque vita sanctificavit. Insignis hic Ecclesiae pastor die XVII mensis Ianuarii anno MDCCXLII in oppido *Korczyn* apud *Crosno* ortus est. Apud paroecialem scholam expleto curriculo, gymnasium *Rzeszoviense* et *Premisliense* in urbe persolvit. Sacerdotium inde affectavit. Necessariis expletis studiis, die XVII mensis Iulii anno MDCCCLXIV sacro est auctus ordine. Post pastorale munus in *Samborensi* paroecia per exiguum temporis spatium gestum, Romam adiit suam institutionem ut expoliret atque in theologia iureque canonico est consecutus doctoratum. Polonia repetita, Seminarium *Premisliense* tirones erudit ac deinceps apud Theologicam Facultatem decanus docuit ac Rector studiorum Universitatis *Iagellonicae Cracoviensis*, cuius agendi rationem et culturae modum extulit. In tali laborioso opere praestando, impedimenta est aggressus aerumnasque est expertus, quas is Domino obtulit. Tempore illo complura scripta in spiritualitatis, ascesis, theologiae pastoralis, historiae iurisque canonici provincia foras dedit. Aestimatus proinde fuit concionator ac plura incepta cum educationis tum culturae suscepit, animos sic praeparans ad evangelicum nuntium recipiendum. Ut dignitas et operariorum iura servarentur, eorum praesertim qui in periculis potissimum versabantur, mense Maio anno MDCCCXCI Sanctissimae Virginis Mariae Poloniae Reginae Sodalitatem condidit, quae de rebus moribusque domesticas famulas curaret. *lis*, operariis, iuvenibus mulieribus, die XV mensis Aprilis anno MDCCCXCIV Cracoviae Congregationem Ancillarum Sacri Cordis Iesu condidit, quam Dei Servae Clarae Ludovicae *Szczęсна* regendam tradidit. Nova religiosa familia varia in Poloniae loca diffusa est. Anno MDCCCXCIX Beatus episcopus auxiliaris *Premisliensis* est renunciatus, atque anno post eiusdem dioecesis est nominatus Ordinarius. Paroecias saepenumero invisit, quasdam novas constituit atque varia templa aedificavit. Plus quam semel dioecesanus Rynodos celebravit, Seminarium minus aedificavit itemque operam dedit ut Romae sacerdotibus studentibus suscipiendis domus

excitaretur. Multum ad sacerdotes et catechistas colendos contulit. Cum conscius esset «nullam condicionem vel nullam aetatem impediri quominus vita perfecta obtineretur» suum populum in sanctitatis semitis direxit ipseque perseveranter ad evangelicam perfectionem animum intendit, omnes per continuatum laetumque, virtutum christianarum sacerdotaliumque exercitium aedificavit, quotidie id factitans quod in concionibus scriptisque fidelibus commendabat. Cum antea sacerdos tum postea Episcopus fidem in Christo flagranter proclamavit atque operam dedit ut veritates revelatae diffunderentur ac doctrinae integritas ab erroribus discluderetur. Suam spiritualitatem Dei Verbi lectione meditationeque, precibus, erga Sacrum Cor Iesu, Eucharistiam et Virginem Sanctissimam devotione aluit. Se Supremi Magisterii doctrinae usque accommodavit ac fidelis fuit et Summo Pontifici ecclesiasticisque potestatibus obsequens, pro certo habens «Deum non habere patrem eum qui non haberet Ecclesiam matrem» (cfr S. Cyprianus, *De unitate Ecclesiae*, 5). Totum se Christo devovit ut magno Divini Magistri testimonio responderet, qui cum naturae divinae esset, formam servi accepit in similitudinem hominum factus est peccati expers (cfr *Philp 2, 6-7*). Incertitudinis terrestri commorationis conscius, perseveranter aeternam beatitudinem contuebatur atque in difficilibus rerum adiunctis, se divinae Providentiae fiducialiter commendavit. Paterna sollicitudine indigentium, pauperum puellarum bellique victimarum necessitatibus subvenit. Prudenter dioecesim temperavit ac sapienter suas spirituales filias rexit. Studiose propriae condicionis officia et ecclesiasticas normas servavit. Aequanimus semper fuit et muneribus susceptis fidelis. Multos annos acerbam stomachi iecinorisque infirmitatem patienter toleravit. Temperatam, austeram humilemque exegit vitam. Vitae usque ad exitum Sacrum ministerium sustinuit. Dominus eum ad Se vocavit, brevem post aegrotationem, die XXVIII mensis Martii anno MCMXXIV.

Latam ob sanctitatis famam anno MCMLIV Beatificationis Canonizationisque Causa incohata est. Iis iure statutis absolutis rebus, die II mensis Iunii anno MCMXCI a Nobis in Beatorum album est relatus. Die autem XX mensis Decembris anno MMII coram Nobis decretum super miraculo prodiit. Faventibus Patribus Cardinalibus Episcopisque, in Consistorio die VII mensis Martii huius anni coadunatis, statuimus ut Canonizationis ritus Romae die XVIII subsequenti mensis Maii perageretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sacra hanc ediximus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Iosephum Sebastianum Pelczar, Ursulam Ledóchowska, Mariam de Mattias et Verginiam Centurione Bracelli Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuantes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Praeclarus hic Praesul spectabiles dedit sapientiae doctrinaeque testimonios, qui non modo suam ditionem verum etiam totam Ecclesiam multum iuivit, scriptis eruditae suaeque eximia opera perquam studiose aedificavit. Exoptamus igitur ut huius caelitis patrocinio exemplisque homines qui nunc sunt transitura posthabeant et superna continenter affectent.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime

obstantibus.

*Datum Romae apud Sanctum Petrum, die decimo octavo mensis Maii, anno Domini bis millesimo tertio, Pontificatus
Nostri quinto et vicesimo.***EGO IOANNES PAULUS**

Catholicae Ecclesiae Episcopus Marcellus Rossetti, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCVI (2004), n. 6, pp. 321-324 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana